

integre à Deo condita, & verâ legis notitiâ informata.

10 Conditio fuerunt opera ex naturæ viribus præstanta & divinæ legi exquisitè conformia.

11 Finis fœderis legalis potissimum fuit triplex: 1. ut homines in obedientia reservarentur, vel ad eam excitarentur, & qui ratione revocari non poterant, pœnarum minis atque terroribus coërcerentur *a.* 2. ut infirmitas & malitia hominum manifestaretur *b*, omne os obturaretur, & totus mundus condemnationi obnoxius redderetur. 3. ut ad restorationem in fœdere Evangelico quærendam omnes impellerentur *c.*

12 Hactenus de Testamento seu fœdere legali, quod aliâs à fundamento naturale, à conditione operum, & respectu abrogationis prius & vetus *a* nuncupatur: Sequitur de Evangelico, quod etiam fœdus gratiæ, & respectu legalis (quod hujus adventu est abrogatum) novum *b* vocatur.

13 Fœdus gratuitum statim post violationem veteris, sive legalis cum primis parentibus percussum, & Abrahamo ejusque posteris omnibus, adeoque & nobis iteratum, substantia unum idem que rectissime creditur, tametsi ob diversam diversis temporibus, ante scilicet & post Christi in carnem advenit.

*a Exod. 20.
v. 18. 19. & 20.*

*b Rom. 7. v.
7. & seqq.*

*c Rom. 3. v.
19.*

a Heb. 8. v. 13

b Ibid.